

(*Clem. un. h. t. cit. l. In. C. eod.*), nisi mora nulla esset in petente, sed in iudice, testibus remotis; vel nisi adesset consensus adversarii pro ulteriori termino.

325. Q. XIV. *Qui sit effectus restitutionis?*

R. 1.^o Restitutio *petita* id operatur, ut ea pendente, omnia permanant in eodem statu; ita ut neque sententia executioni mandari possit, (*c. 6. h. t. l. un. C. in im. restit. postulata.*) At restitutio *obtentata* omnia redintegrat, et in pristinum statum reducit, ita ut unus non habeat damnum, neque alter referat lucrum (*l. 24. §. 4. ff. de minor.*) Unde, si laicus in fundo ab Ecclesia empto fecit expensas utiles, eas repetet, imò fundum quasi jure pignoris tamdiu retinere potest, donec expensæ solvantur (*c. 1. h. t. l. 39. in fin. ff. de minor.*) Hoc de redintegratione rei principalis; de fructibus autem restituendis major est difficultas. Hinc—2.^o Si res Ecclesiæ, vel minoris alienata est contractu gratuito, v. g. per donationem, res cum fructibus restituenda est, cum læsio facta sit in utroque: ita com.—3.^o Si res alienata est contractu oneroso, v. g. per venditionem, fructus percepti et consumpti non sunt restituendi, præsertim si emptor exinde non est factus locupletior (*arg. l. 4. §. 2. ff. in regund.*); nam titulo domini sunt percepti, et consumptione bona fide facta plenè acquisiti. A fortiori fructus triennio præscripti non sunt restituendi, cum pleno et irrevocabili dominio acquisiti sint per usucapionem (*l. un. C. de usucap. transfor.*)—4.^o Fructus extantes non præscripti probabilius cum re ipsa restituendi sunt. Ità Abb. Covar. Reiff. à n. 127. et alii contra Molinam, Lessium, Schmaltz. etc., docentes fructus non esse restituendos in casu, quo minor læsus est non in quantitate pretii, (tunc enim proportionaliter restitutio esset facienda), sed in ipsa substantia rei, quia non expediebat eam alienari.—*Prob. ex claris testibus l. 24. §. 4. ff. de minor.: Si in vendendo fundo circumscriptus restituatur; jubeat Prætor emptorem fundum cum fructibus reddere.* Ubi Glossa addit: *etiam cum vis, quos percipere potuit.* Et *l. 27. §. 1. eod. ibi: Item ex diverso, si minore pretio quàm oportet vendiderit adolescens, emptor quidem juberi debet prædia cum fructibus restituere; juvenis autem eatenus, ex pretio reddere, quatenus ex ea pecunia locupletior est;* ubi uterque Jctus. docet fieri debere restitutionem fructuum.—Item *Prob. ex cap. 1. hoc tit. et cap. pen. de reb. Eccl. alien.*, ubi ex possessionibus Ecclesiæ colonis relinquuntur fructus pro sumptibus, et laboribus compensandis; ergò alii fructus excedentes summam sumptuum restituendi sunt.—Ratio est, quia restitutio reducit in pristinum statum; ergò fundus cum fructibus ita restituendus est, ac si non fuisset in dominio emptoris.

Dices: 1.^o Fructus rei pertinent ad dominum rei, sed emptor, persoluto justo pretio, est dominus rei; ergò.—2.^o Æquitas suadet, ut servetur in tali contractu æqualitas; sed hæc in eo consistit, quod sicut fundo empto sui fructus, ita pretio dato sui fructus respondeant; si verò minor ex pecunia nullos fructus percepit, sibi imputare debet; ergò fructus ex neutra parte restituendi sunt, cum non supponatur læsio facta in fructibus, sed in solo fundo quoad substantiam.

R. *Ad. 4.^m D. M.* Pertinere revocabiliter, et tacitè conditionatè, si fundus non restituatur, *C. M.* Irrevocabiliter et absolutè, *N. Min.*—*Ad. 2.^m* Cùm pecunia ex se sit sterilis, propriè non parit fructus, adeoque non totaliter æquiparatur fundo.

TITULUS XLII.

DE ALIENATIONE JUDICII MUTANDI CAUSA FACTA. ^a

326. *Nota,* post remedium restitutionis hic proponi aliud remedium prætorium contra alienationes judicii mutandi causa factas. Fit autem alienatio ista, dum quis metu litis sibi impendentis, sive titulo oneroso, sive lucrativo rem dolosè in alium potentiorum, vel alterius fori transfert, ut propter difficultatem hunc conveniendi durior reddatur conditio adversarii. Ità sumitur ex *l. 1. 2. 3. ff. et c. fin. h. t.* Quod quia iniquum visum est prætori, meritò contra tales alienationes proposuit edictum relatam in *l. 8. §. 1. ff. h. t.*

327. Q. I. *Quæ actio competat contra alienationes judicii mutandi causa factas?*

R. 1.^o Jure digestorum competit *actio in factum: directa*, si alienata est proprietas; *utilis*, si alienata est possessio, intra unum annum utilem proponenda contra alienantem ad interesse, putà, quanti nostra interest alium adversarium non habere, (*l. 1. 3. §. 4. ff. h. t.*) Jure Codicis *l. un. h. t.* competit læso *actio in rem*, ut, si ita expedit, convenire possit possessorem rei in se alienatæ.—2.^o Requisita harum actionum sunt, ut alienatio fiat dolo malo inter vivos, animo vexandi adversarium, cujus intersit alienationem non fuisse factam: item, ut fiat ante litem cœptam; alioquin, hæc incepta, res afficitur *vicio litigiosi*, ut amplius alienari nequeat, ut docetur *tit. ff. de litigiosis*, et in *libr. seq. tit. ut lite pendente nihil innovetur.*

328. Q. II. *An remedium præsentis edicti non tantum sit contra reum, sed etiam contra actorem, qui dolosè actionem suam transtulit in alium judicii mutandi causa?*

R. Affirmativè, sive cessa sit actio realis, sive personalis: nam edictum prætoris est generale, et *c. 2. h. t.* expressè loquitur de actionibus cessis in præjudicium rei.

329. Q. III. *Quid jus Canonicum speciale statuatur circa tales alienationes?*

R. 1.^o Ut rescripta, quæ aliàs non extenduntur ad personas non expressas, extendantur ad eum, in quem res alienata est, ut tam iste, quàm alienans coràm eodem delegato conveniri valeant (*c. 1. h. t.*)—2.^o Ne cle-

^a—Agitur de hac materia in Decreto *Can. fn. 11. q. 1.*—In *Pandectis lib. 4. tit. 7.*—In *Codice lib. 2. tit. 55.*

rici permittant rem vel actionem dolose in se transferri, quo durius laicos pertrahant ad forum ecclesiasticum, (c. *fin. h. t.*) Si autem dolus et avaritia clericorum absit, nihil prohibet, quin à laicis in clericos fieri possit cessio rerum et actionum.

TITULUS XLIII.

DE ARBITRIS. ^a

330. Nota I. Hæc tria distinguenda esse, *arbiter*, *arbitrator*, et *mediator*, seu *amicabilis compositor*. *Arbiter* est vir bonus et idoneus, à jure, vel ex conventionem partium electus, qui rem controversam instar judicis cognoscit, et per sententiam suam seu laudum terminat. *Arbitrator* est, qui à partibus electus plerumque causam extrajudicialem sine ordine juris ex sola æquitate decedit. *Mediator* est, qui à partibus requisitus, amicabiliter causam illarum componit, non tam sententiando, quàm consilium præbendo; ac proinde non tenentur sequi decisionem illius.

Nota II. Arbitrum alium esse *juris*, alium *compromissarium*. *Arbiter juris*, seu *necessarius* est, qui ab ipso jure pro certis casibus constituitur; ut in causa suspicionis contra judicem (c. 39. *de offic. deleg.*), in causa Episcopi cum clerico sibi subjecto litigantis, (Can. 46. *si Clericus* 14. q. 4.), in causa discordiæ delegatorum Papæ (c. 14. *de reser.*) etc.; et hic arbiter juris ferè nihil differt à judice. *Arbiter compromissarius*, seu *voluntarius* est, qui ex privata voluntate partium constituitur. Convenit cum judice in hoc, quòd in arbitrando observet ordinem judiciorum; quia arbitria redacta sunt ad formam judiciorum, prout dicit Paulus l. 1. *ff. de recept. arbitr.*: *Compromissum ad similitudinem judiciorum redigitur, et ad finiendas lites pertinet*. At in multis differt à judice; nam judex constituitur potestate publica, etiam invitus, partes contumaces potest punire, et testes cogere, sententiam à se dictam, nisi ab ea appelletur, exequi: ex qua etiam nascitur *actio*, et *exceptio rei judicatæ*: econtra arbiter compromissarius constituitur privata voluntate partium, et defectu jurisdictionis partes contumaces nec punire, nec testes cogere potest, nec sententiam exequi; neque ex ejus laudo, seu sententia nascitur *actio*, aut *exceptio rei judicatæ*, sed sola pœnæ petitio (l. 2. *C. h. t.*) Cetera discrimina in decursu *h. t.* patebunt. Porrò, sicut *judicium* accipitur, vel pro toto processu, vel pro sententia lata, ita arbitrium accipi solet, vel pro toto processu arbitri, vel pro ipsius sententia, seu pronuntiatione, quæ communiter voca-

^a—Agitur de hac materia in Sexto *h. t.*—In Decreto. Can. 33. *et seqq.* 2. 6. q. *et* Can. 1. *infamis* 3. q. 7.—In Trid. sess. 14. c. 5. v. *quid si de ref.*—In Pandectis lib. 4. tit. 8.—In Codice lib. 2. tit. 36.

tur *laudum*, voce barbara, à laudando, seu approbando, quia arbiter pronuntians *laudat*, seu approbat, quod sentit.

331. Q. I. Unde oriatur officium et potestas arbitri compromissarii?

R. Originativè et permissivè à jure utroque, quatenus cuilibet jus permittit litigare coràm judice, vel arbitro; proximè verò et formalitèr, ex voluntate seu compromisso partium, quatenus compromittunt, seu mutuo consensu deligunt unum idoneum, qui eis in causa controversa jus dicat. Ex quo sequitur tantam esse potestatem arbitri, quanta ei in compromisso conceditur, l. 32. §. *fin. ff. de recept. arbitr.*, ubi Paulus ait: *Arbiter nihil extra compromissum facere potest; nisi forsàn esset quid accessorium causæ principalis; ut pronuntiare super fructibus ex re perceptis, condemnare contumacem ad expensas, etc.*

332. Q. II. Qui possint constituere arbitros compromissarios?

R. Generalitèr illi omnes et soli, qui possunt transigere, seu, qui liberam rerum suarum, aut alienarum potestatem habent, quoad administrationem et alienationem: nam sicut transactio, ita et compromissum est via ad alienandum. Unde super immobilibus, aut mobilibus pretiosis, nec tutor aut curator sine decreto Prætoris, nec Prælatus sine solemnitatibus canonicis compromittere potest in arbitrum, nec procurator super negotio sibi commissio (c. 3. 5. 9. *h. t.*); similiter nec vasallus super re feudali, cujus cognitio certò pertinet ad dominum directum vel Pares curiæ, in alium compromittere potest, ne his præjudicetur; secus esset, si cognitio pertineret ad judicem ordinarium (lib. 2. *F. tit.* 15. 34. et 46.) Ceterum, partes neminem cogere possunt, ut fungatur officio arbitri, neque ipæ partes cogi possunt ad compromittendum in arbitros, nisi justissima causa id exigeret; ut si immineret periculum rixæ et armorum ex ordine judiciali, etc. (l. 3. §. 1. *ff. t.*)

333. Q. III. Qui possint eligi in arbitros compromissarios?

R. Generatim omnes, unus vel plures, pares vel impares, nisi specialitèr à jure prohibeantur; nam compromissum est de genere permissorum. Prohibentur autem:—1.º *Minor 20 annis* (l. 44. *ff. h. t.*); si autem major 20 annis, et minor 25 annis in arbitrio læsus est, restituitur in integrum *ibid.*—2.º *Mulier* ob pudicitiam sexus (l. *fin. C. h. tit.*), nisi regina, vel aliàs jurisdictionem habens esset (c. 4. *h. t.*)—3.º *Excommunicatus vitandus* (c. 59. *de sent. excom.*); ejus tamen acta, nemine excipiente, essent valida, cum non oriatur ex jurisdictione, ob cujus defectum acta judicis excommunicati dicuntur esse nulla.—4.º *Laicus* in causa spirituali (c. 8. *h. t.*); tum quia hoc non decet; tum quia arbitria redacta sunt ad formam judiciorum; laicus autem in causa spirituali nequit esse judex.—5.º *Nemo* in causa propria potest esse arbiter, uti nec judex (l. 51. *ff. h. t.*) Ceterum jus permittit, ut arbiter esse possit pater, filiusfamilias, ingenuus, libertinus; infamis saltè de jure civili, imò et judex ordinarius, vel delegatus (l. 3. *et seqq. ff. c. 5. 7. 10. h. t.*)—Nec obstat l. 9. §. 2. *ff. eod.*; nam ex lege julia judex ordinarius non prohibetur esse arbiter, sed solum prohibetur, ne jubendo, aut alio modo cogat partes, ut in se compromittant. Similiter, cum jus neminem repellat ab arbitramento, quicumque potest

esse arbitrator, etiam laicus in causa spiritali (*arg. c. 4. et 8. h. t.*) à sensu contrario; quia arbitrator non procedit via jurisdictionis, vel auctoritativæ defensionis, sed potius via compositionis, quod potest alius in causa spiritali, sicut et agere assessorem, vel consiliarum.

334. Q. IV. *In quibus causis possit compromitti in arbitros?*

R. Generaliter in omnibus. quæ specialiter non excipiuntur, cum tota res sit de genere permissorum. *Excipiuntur* autem:—1.º Causæ criminales, utpote publica auctoritate vindicandæ (*l. 32. §. 6. ff. h. t.*).—2.º Causæ libertatis (*ibid. §. 7.*).—3.º Causæ in integrum restitutionis nisi incidenter tractetur, (*leg. fin. C. ubi et apud quem. c. 9. h. t.*).—4.º Causæ matrimoniales super valore matrimonii (*cit. c. 9. h. t.*); et beneficiales, ne detur vitiosus ingressus in beneficia contra *reg. 1 in 6.*—5.º Causæ exemptionis, et privilegiorum Apostolicorum (*c. 5. h. t.*).—6.º Denique causæ omnes, super quibus transactio non admittitur.

335. Q. V. *Ad quid arbiter teneatur vi compromissi?*

R. 1.º Arbiter, postquam semel hoc officium suscepit, tenetur in eo permanere, donec laudum dicat; aliàs temerè recusans, compellendus est auctoritate iudicis (*l. 3. §. 1. ff. h. t.*).—2.º Tenetur observare ordinem iudiciarium, secundum formam tamen compromissi quoad locum, tempus, et modum procedendi: et ideo partes citabit, litis contestationem injunget, probationes excipiet, contumaces puniet, pœnam seu mulctam infligendo (*l. 39. eod.*), sententiam seu laudum justè secundum jura pronuntiabit. eamque non corriget, sive benè, sive malè pronuntiaverit, cum semel suo officio functus sit, (*l. 19. 20. eod.*).—3.º Si plures sint arbitri, singuli seorsim dicunt suam sententiam ad distinctionem actus capitularis, in quo unus nomine omnium pronuntiat. Et quidem, de jure Can. (*c. 2. h. t. in 6.*), sufficit, ut major pars arbitratorum sententiet, si ceteri vocati ex negligentia interesse noluerunt: at de jure civili ad valorem laudi requiritur omnium præsentia (*l. 17. §. fin. ff. d. t.*), nisi in compromisso addita fuisset clausula: ut uno, alterove deficiente, reliqui nihilominus procedere valerent, (*l. 32. §. 13. ff. eod.*) Ex his juribus quodlibet in suo foro observandum est.—4.º In discordia arbitratorum pars major prævalet, nisi ex forma compromissi requireretur concors sententia omnium, (*c. 1. hoc. tit. in 6.*); si pari numero discordent, eligenda est à partibus tertia persona, cujus auctoritati stetur. Tandem si omnes arbitri discordent, et pronuntiatum unius non contineatur in pronuntiato alterius, non valet arbitrium: si autem pronuntiatum unius contineatur in pronuntiato alterius, valet arbitrium de summa minori, modò intra terminos justitiæ contineatur: v. g. unus condemnat in quinque, alter in septem, et tertius in decem, valet sententia pro quinque; quia *in illa summa omnes concordantes existunt*, (*cit. c. 1. h. t. in 6.*)

336 Q. VI. *Quomodo partes obligentur ex compromisso et laudo arbitri?*

R. 1.º Partes arbitro citanti, præcipienti, mulctam imponenti tenentur parere; cum ad hoc compromittendo se obligaverint.—2.º Si compromissum absolutè factum est, tenentur absolutè parere laudo, seu arbitrio, saltè

de ordinario, non secus ac transactioni; et ideo etiam ex arbitrio datur victori *actio in factum* ad petendam ab ordinario iudice executionem laudi, vel *exceptio velut pacti* contra petitem (*l. 4 et pen. C. de recept. arbitr.*) At si in compromisso apposta est pœna transgressori, obligatio est alternativa, vel implendi laudum, vel solvendi pœnam, (*c. 9. h. t. et l. 1 cum auth. decernit. hoc. tit.*) Quod si autem in arbitrio plura essent capitula, et pars unum capitulum reciperet, et alterum non, secluso alio pacto, non tenetur totam pœnam solvere, sed proportionaliter secundum quantitatem transgressionis.—3.º Si compromisso præter pœnam adjectum sit juramentum de servando arbitrio, probabilius est, laudum esse servandum ob reverentiam juramenti (per *c. 28 de jurej.*), cum observatio illius non vergat in dispendium salutis æternæ; nisi intentio jurantis fuisset alternativa, vel servandi arbitrium, vel solvendi pœnam. *Nec obstat Nov. 82. c. 11* ubi juramentum adjectum compromisso est nullum: nam dispositio ista correctæ est per *jus Can. c. 2. h. t.*, cui consonat *jus vetus l. 4. C. h. t.*—4.º Partes à laudo appellare non possunt (*l. 1. C. d. t.*), sed tenentur regulariter illi stare, sive æquum, sive iniquum sit; saltè si expresse, vel tacitè lapsu decem dierum homologatum sit, hoc est, confessatum, seu tacitè approbatum, *l. 27 diem proferre §. 2. ff. h. t.* ubi Ulp. ait: *stari autem debet sententiæ arbitri, quam de re dixit, sive æqua, sive iniqua sit, et sibi imputet, qui compromisit.*

337. Q. VII. *Quæ remedia, et in quibus casibus dentur contra laudum iniquum?*

R. Remedia ista sunt:—*reductio ad arbitrium boni viri*, hoc est, iudicis ordinarii, quæ reductio est quædam species appellationis (*l. 32. §. 14. ff. h. t. l. 2. C. ubi, et apud quem, c. 11. h. t.*):—*exceptio doli mali*, (*cit. l. 32. §. 14 et lib. 31. eod.*):—et in casu læsionis ultra dimidium, datur remedium celebre ex *l. 2. rem. C. de resc. vend.*, cum hoc remedium etiam adversus transactionem detur.

R. Casus, in quibus non est obligatio standi laudo sunt:—1.º Si forma compromissi non est observata (*c. 6. h. t. in 6.*)—2.º Si laudum adversetur legibus, vel Sac. Canonib., ut si qui condemnaretur ad solvendas usuras usurarum, vel ad dandam pecuniam pro beneficio ecclesiastico (*c. 2. h. t.*)—3.º Si dolus malus in arbitrio manifestè intervenit; ut quia arbiter fuit pecunia corruptus, partem unam notoriè et gravissimè læsit etc. (*l. 32. §. 14 ff. et l. 3. C. h. t.*)—4.º Si pars enormiter læsa est ante homologationem laudi expressam, vel per decem dies tacitam, reclamare potest contra laudum (*l. 5. §. fin. autem, C. h. t.*), quia in tali casu æquitas suadet læso esse succurrendum. In his casibus iudex, ad quem recurritur est ille, coram quo aliàs causa ista proponenda fuisset, et ab hoc iudice *reductionis* concessa videtur appellatio, cum nullibi reperiat prohibita (*arg. l. 20. C. de appell.*)

338. Q. VIII. *Quomodo expiret compromissum?*

R. 1.º Ex parte arbitratorum expirat morte etiam unius, vel deportatione, vel recusatione propter suspicionem odii capitalis, vel amicitiae supervenientis cum altera parte.—2.º Ex parte compromittentium expirat

mutuo consensu, transactione super re, morte alterutrius: sola tamen morte tutoris, vel procuratoris in rem alienam non expirat; solutione pœnæ etc. (l. 13. ff. hoc tit. c. 10 eod.)—3.º Ex parte causæ expirat lapsu temporis præfixi, defectu conditionis non impletæ, interitu rei, super qua laudum dici debuit: denique pronuntiatione laudi super tota causa (l. 19. hoc tit.)

LIBER SECUNDUS

DECRETALIUM GREG. IX.

In hoc libro exactè traditur totus processus judiciarius, tanquam secundum objectum materiale juris. Neque solùm in Canonico, sed etiam in foro civile magnæ est æstimationis et utilitatis, cùm adeo ordinata actuum judicialium series non reperiatur expressa in corpore juris civilis.

TITULUS I.

DE JUDICIIS. ^a

Hic recolenda sunt, quæ in jure civili traduntur ad *tit. de actionibus*, quorum notitia ad intelligendum processum judiciarium est maximè necessaria.

1. Nota I. Judicium hic definiri: *Legitima controversiæ inter actorem et reum ortæ apud judicem disceptatio et definitio*. Ità com. ex c. 10 de V. S. et l. 9 43. C. h. t. Et quamvis nonnulli confundant judicium cum *questione, causa, lite et instantia*, in rigore tamen hæc omnia differunt. Nam *questio* est ipsum jus controversum in judicium deducibile; *causa* est idem jus actu deductum in judicium; *lis* est actio, qua res controversa deducitur in judicium; *instantia* est exercitium actionis, quod

a.—Agitur de his in Sexto, Clementin. et Extrav. com. h. t.—In Decreto 2. q. 1 et 5. q. 4. et 14. q. 1. 15. q. 7. 16. q. 6. 30. q. 1. *fn. a Can. si quis*.—In Trid. sess. 7. c. 14. sess. 24. c. 20 et sess. 25. c. 10 de refor. et sess. 13. c. 5 de reform. ubi de judicio summario.—In Institutionib. lib. 4 tit. 6 de actionibus cum seq.—In Pandectis lib. 5. tit. 1.—In Codice lib. 1. tit. 4. lib. 2. tit. 1, 5, 6, 7.